

Atq; principiò quidem Lineas, deinde Lineata, quatenus circulis adscribuntur, contemplantur.

Circulus est figura plana unicâ lineâ comprehensa, quæ undiquaq; omnibus suis partibus à puncto exactè intermedio æqualiter abest.

Id verò punctum vulgo *Centrum Circuli* appellatur.

Linea autem Circulum comprehendens *Ejusdem Circumferentia* dicitur.

Quæ porrò ipsi Circulo adscribuntur Lineæ, ex sunt aut primariæ aut secundariæ.

Primariæ sunt Radij & Diametri, quarum illæ harum respectu etiam dicuntur Semidiametri.

Radij sunt Lineæ Rectæ ex centro ad circumferentiam exeuntes : atq; hæ omnes, quotquot in circulo aliquo duci possunt (possunt verò innumeræ duci) inter se æquantur.

Diameter est linea Recta à puncto aliquo circumferentia ad oppositum per centrum ducta : hæc circulum & Circuli circumferentiam semper bifecat, estq; nihil aliud, quàm duo Radij Circulares in directum compositi.

Possunt etiam, itidem ut Radij, Diametri innumeræ in quovis circulo describi.

In apposito schemate est exemplum Circuli, cujus circumferentia A B C D, centrum verò est E, totius circuli medium. Ab hoc linea E B ad circumferentiam educta dicitur Radius vel Semidiameter circuli, uti & E D : tota autem B D ex B E & E D com-